



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Iuris ecclesiastici controuersia grauiter exercetur. cap. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

quæ solent amplitudinis caussa in aulis haberis; instrumenta, vasaque argentea. Statuas, earumque partes plures, antiquæ artis pulcherrima monumenta, sacris item locis addixit, ut venderentur. reliqua ipse vendi iusfit, pretiumque in lacros, piosque versus erogari. extant ex donis illis inter alia in ecclesia maiore Mediolanensi; aulæ ad celebriorem eius ornatum, sericis, aureisque filis contexta; figurisque sacras veteris testamenti historias referentibus, variata: vasa argentea aurata maxima, ad Pontificium sacrorum apparatum expoundenda: instrumentum pacis rite in ecclesia dandæ pulcherrimum, & pretiosissimum. Sacerdotijs item se abdicare instituit; quia propter animarum curam, vel monasteriorum rectionem, aut iuris dicendi munus; integræ illi administrationi satisfacere sibi nō posse videbatur: simul bonos, eruditosque viros ea ratione remuneraturus, quorum fideli, fructuosaque opera diu usus erat: omnino, vt quod de pluribus non habendis beneficijs, tum antiquis, tum nouis Ecclesiæ legibus sanctum erat, ex amplissimis ipse Ecclesiæ sanctæ principibus, ad plurimorum documetum, plenius exequeretur. Ea igitur pleraque Pontificis auctoritate quibusdam familiaribus suis distribuit; viris probitate, litteris, ingenioque; admodum probatis; de quibus aliis erit singillatim dicendi locus. nonnulla ex monasticis, que commendationis ei nomine tributa fuerant, monachis ipsis libere dimisit. reliquis familiaribus, prout iustum esse iudicauit; tum litteratis alijs viris, & Cardinalibus ite gentibus, varias ex fructibus constitui curauit pensiones. quibus ex sacris vestigialibus dandas non existimauit, ijs ex patrimonio suo statuit pensitari. Dimittebat ea sacerdotia libere Pontifici: virosque tantum nominabat; quibus ea conferri probaret: qui quidem sacro

miseri apti, & ad loca, ecclesiæ ipsas incolendas, ut opus erat, essent expediti. Pontifex autem eius minime obsecrantis testimonio, voluntatique facile assentiebat. quibusdam etiam, nemine demonstrato cum cessisset. Pontifex quibus usum fuisse, assignabat. Pensiones præterea nonnullas, quas ex varijs ecclesijs in Italia, Lusitania, Belgio solebat exigere, liberatiter ecclesiarum commodo, quæ tenues habebant fructus, remisit. Hæc primo ipso Pij Quinti tempore Carolus cum instituisset; exequi deinceps perrexit; ut alijs locis demonstrabit.

Quæ clerus contra concilij decreta Roma proposuerat, facile reiecta sunt. Verum cum Senatu pl<sup>o</sup> negotijs fuit: qui Regij iuris, quæadmodum afeuerabat, tuendi studio, in sua permanentia sententia: Archiepiscopo ius non esse, siue apparitores armatos habendi; siue laicos; excepta fidei causa, sine Magistratibus comprehendendi. In quo tum iuris, tum facti controværia erat: nam utraq; pars, quod pro ea faciebat, id præteritis temporibus consuetu<sup>m</sup> esse dicebat; sibiq; testimoniis subsidio, iuris controværis possessione vindicare conabatur Carolus, qui iurisconsultorū sententia, ius de quo agebat, & iuris ite possessione, ecclesiæ tribui intelligebat; quidquid iuris, factiue pro ecclesia suppettebat, ad Pontificem referri curavit; ut quid agendum esset Apostolica auctoritate statueret; quod accepturu<sup>m</sup> facile pro sua pietate seruaturumq; Senatū confidebat. neq; interim agere priuatim cū Senatorib<sup>m</sup> omittebat; & sui iuris argumenta commonstrare; si priuato posset res officio componi. Ex altera parte res ad Philippū Regem cū per eius ministros delata esset; Carolus quoq; ne quid temere facere videtur, per litteras, & per Apostolicum internunciū in Hispanijs commorantem, consilium in eo genere suum aperuit; & quæ pro iure Ecclesiæ fidem

Iuris Ecclesiastici controværia grauitet & exercetut.  
CAP. II.

dem faceret, indicauit. Religiosissime Rex respodit; totū negotiū ad summū Pontificem deferendū. interim vero suis præcepit, vt saluaregia potestate, ius Ecclesiæ omnino conferuaretur. Itaq; missō a Senatu Romā ob eā rē Senatorē; tum causæ cognitio certis Cardinalibus, doctisq; viris mandata est; tum Carolus interim possessionē suam tueri iussus. Ibi cum eorū sententia, qui de controuersia consultabāt, ecclesiæ Mediolanensi fauere videtur, Senator Roma discessit. Pontifex litteras ad Ducem, Senatumq; humannissimas dedit; & eos ad ius Ecclesiasticum tuendum, pro perspecta eorū pietate cohortatus est; dum causa recte, matureq; Romę cognosceretur. alteras saltē, si hoc loco infererē, gratum me pijs viris facturū existimau. hæ vero ipse sunt latine scriptæ.

Pontificis  
litteræ ad  
Ducem Se-  
natumque  
Mediolanē  
sem.

*Dilecti filij. Instiūtū simul, &  
charitatis officio libenter adducti  
sumus; vt redeunte Mediolanum  
collega vestro Ioanni Paulo Eccle-  
sia, eius, quam in publico negotio  
vestre apud nos gerendo, egregiam  
vobis præstítit, fidei ac diligentia,  
testimonium redderemus. Cuius ne-  
gotij cum ea vis, & natura sit, quā  
nemo non intelligit; adhuc eius ra-  
tio facile explicari non potuit. Nec  
vero bæc cauſa diu:urniorem, quā  
necessitas postulet, morem habebit.  
Nam auditis, & plane cognitis, que  
vtrinque pro rei veritate, rationes  
allatæ fuerint, mature iudicium  
expediendum curabimus. Interea  
vos studioſissime hortamnr in Do-  
mino, vt in omnibus rebus Archie-  
piscopo vestro, & ceteris Prouincia-  
& Episcopis, ad tuendam, &  
ornandam Paſtoralis officij curam,  
ac dignitatem; ſollicitudinem, &  
operam vestram accommodetis. nul-*

*la enim re magis ſacularis potestas  
ſtabilitur, & augetur, quam ampli  
ficatione, & auctoritate Eccleſia-  
ſicæ ditionis, quidquid ad spiritua-  
le patrimonium firmamenti, & vi-  
rium accedit, eo temporalis ſtatus  
maxime communitur. nam obſer-  
uantia, & pietas Principum, ac  
Magistratū in ecclesiarum Anti-  
ſtites, populos ipſis adeo præbet obe-  
dientes; vt fatendum ſit, Regno-  
rum, ac ſtatuum incolumitatem  
vno illo ecclesiastici iuris præſidio  
tamquam fundamento contineri.  
Quod utinam contrarijs ad multo-  
rum exitium exemplis non pateret.  
Ea laude vestri ſic excelluere ma-  
iores; vt illo facto, & ipſi clari ſint,  
& multas ciuitates, ac prouincias  
ad pīj exempli imitationem inflam-  
marint. Quo magis nos etiam exi-  
mia patrij in vos officij charitate,  
quam quod alioqui opus eſe putare  
mus, cohortandos duximus; vt quā  
ſumma cum animi noſtri lātitia re-  
tinetis gloriam iuuandi, ac fouendi  
ecclesiasticam iurisdictionem, in ea  
ardentius inſtatis. Nam iſta etiā  
ſtudiorum vestrorum declaratione,  
pastores ad diligentiorem ſui mune-  
ris administrationem incitati, vbe-  
riores ſuorum gregum fructus Do-  
mino perſoluere ſtudebunt.*

*At Mediolani interim periculū e-  
rat; ne dū vtraq; pars possessionem fi-  
bi vendicabat; ita vt eius retinēdæ no-  
mine quod altera feciſſet, altera duce-  
ret vſurpationis loco, violēti aliquid  
accideret. variæ rationes conquirebā-  
tur controuersiæ partium cōſensu di-  
rimenda, ſed nihil cōſciſi potuit. Ecce  
autē, dū ita cōſultatur, quo l ea con-  
trouersia periculū partu:jebat, repen-  
te peperit. Lector priuarij ſeclesiſi  
ſtici*

Lici fori, cum armis Principis edito vetitis comprehensus, in carcerem ducitur. tum publice reuinatis post terga manibus, sublimis fune tractus ad summum Palatij arcum, & ad solum usque repente dimissus, quassiter repetito, accerrime, si quis umquam alius torquetur: ac statim pœna remigationis proposita, Mediolanum discedere iubetur. Carolus cum ius sibi suum palam eripi; & etiam contra Pontificis auctoritatem fieri quodammodo iudicaret, ad quem erat delatum negotium; ipsum confessim iudicē, cuius in carceribus erat, quem iustitia Capitaneum appellat; item Aduocatum fiscalem, Notariū, & carceris custodem anathemate notari, eiusq; rei scriptum publice proponi iussit. Præsidem Senatus per Vicarium suum; & vniuersum item Senatum, scriptis ad fores loci, quo ille conuenire solet, affixis; vocavit, ad eius facti caussam dicendam. Doluit casum Dux vehementer, quippe, qui nihil eiusmodi cogitasset; eoque magis doluit, quod propositum sententia scriptum, nescio cuius iussu per satellites a ianua ædium Archiepisco palium, & ecclesiæ; & etiam ab ipso ecclesiæ suggestu abscissum fuerat; & clericus præterea, cuius opera quidam ex ijs vocati fuerant, in custodiā datus. Itaque iudicem, cum se adeuntem vidisset, neque audire, neque admittere voluit: & satellites, qui scriptum abscederant, in carcerem detrudi iussit. rogauit vero Carolum, ne cito contra Senatum, ob præcipuam Magistratus dignitatem quidquam pronunciaret. qui cum Duci respondisset, non posse se ius ecclesiæ suæ non tueri; acturumque contra quoscumque iure tamen, non iniuria, quemadmodum cum eius ministero actum esset: nihil tamen amplius statuit, antequam Roma responsum acciperet; quo rem, vti gelta erat, statim preferendam curauit. Senatus

procuratorem dedit; qui negauit quidquam mandatum esse auctoritate Senatus: hominem punitum, non ut apparitorem facri fori, qui quicquam esset ignoraretur; sed ut quemlibet alium, qui contra leges regias fecisset; & alia eiusmodi, quæ in iudicij usurpari solent. Scripsit ad Pontificem eadem fere usus excusatione; culpamque omnem in Carolum transfert. Dux item scripsit, sed multo mihius; & pro regio tamen iure. Displuit vehementer Pontifici & factum, & litteræ Senatus. itaque nihil Senatui respondens, monuit Ducem, ut pro illata iniuria Ecclesiæ satisfaceret. tum vero Præsidem ipsum, duosque Senatores consilij, factique præcipios auctores, Romæ coram se spatio triginta dierum adesse; reliquos iam anathemate percusso Romanum item citari, iussit. Proprium ad id ministrum (cursorem appellant) Septembris mensis, anni M. D. LX. VII. 1567. initio, cum litteris ad Ducem Mediolanum misit. Illas plus Princeps osculatus; tum omni alia pietatis significacione, summaque in Pontificem reverentia in ijs recipiendis usus, Curseorem, quocumque opus esset vocandi gratia, tuto, honesteque a deo adduci iussit; ut ipsum Iacobum Paëzium eximia pietate, & doctrina Theologum ex Societate IESV, qui a concessionibus, confessionibusque illi erat, una miserit, qui hominem, quibus opus esset, commendaret. Quam quidem piam, & religiosam erga summum Pontificem reverentiam imitatus magnus Cancellarius itidem Hispanus, addidit etiam, Pontificias litteras, vti ab ipsius beati Petri manu esse accipendas. Fuit ex ea re, Mediolani, Romæ, in Hispanijs varius rumor, turbaque non mediocris: alijs alia dicentibus, opinantibusque; & uno quoque pro suo ingenio, atque sensu de re tota iudicante. Carolus magis ac magis in inuidiam varie vocaba-

cabatur: usque eo, ut dicerent non nulli, potestatem illum Regiam sensim inuadere: nisi obfisteretur, viam fibi munire ad Mediolanense imperium occupandum: ab eiusmodi consilio Pontificem fortasse non esse alienum. de qua obrectatione, ac calumnia delatus vir primarius Hispanus, in carcerem Ducus iussu ductus est. Ut intolerabilis potentiae factum commemorabant; quod publicas bibliothecas omnes multis comitibus, & ministris, magna populi frequentia recognouisset; libros omnes singillatim inspexisset; plurimos abstulisset. id vero Carolus fecerat, cum audisset multos libros haeretica labi infestos publice vendi, quemadmodum re ipsa verum esse deprehendit. fecit vero etiam Apostolico accersito inquisitore. Fuere adeo, qui iuris regij tuendi nomine, & ad vim, ut aiebant, vi repellendam; Ducem instigarēt, ut ad extrema illa veniret, cum Episcopūs ē ciuitate violente pellitur. Contra plurimi, singularem Caroli pietatem, & egregium in Ecclesia iure tuedo studium, constantiamq; in coelum ferebant. summa cum eius laude mirabantur, quod religionis cauſa neminem vereretur, aut respiceret; neque suam apud Principes gratiam, aut ipsum etiam Archiepiscopatum magni faceret. mentē eius optimam conatus sanctissimos prædicabant. regios vero Magistratus grauiter accusabant. Carolus eximia Dei fiducia; tum animi magnitudine, quam in amplissimis reipublicae christiane negotijs exercuerat; ita se moderate gerebat; ut cum ex eorum consilio, quos apud se in eo genere peritissimos habebat; in primisque sacre precationis lumine, fecisset; quæ legitime fieri posse, ac debere iudicaret: tum ea animi tranquillitate, silentioque alia omnia obiret; ut nihil illi omnino litis, aut contentionis esse videretur. Neque vero quidquam mœstia attulit; quod ex optimatis permulti, qui antea vel comitari, vel ad eum vertitare solebant, iam non apparerent. immo in eam partem libenter acceptit; ut ad pleniorē rerum humanarum contemplationem ea quoque ratione sese incitaret. Cum dies adfasset, quo die se Romæ sistere Senatores iussi erant; varijs excusationibus, missis etiam Roman legatis, dilatus est; ac denique impetratum, ne quidquam contra illos promulgaretur, donec Seralui Marchio, qui negotijs illius cauſa ex Hispanijs aduētabat; Roman perueniret. Is Mediolani primo Carolum, conuenit, multaque cū eo egit, & questus est: seuere nimis aetum contra Senatores: Carolum a Rege potius remediu petere debuisse, quam accendere animum Pontificis. ita Regis in eum merita postulare: ita officium illud, quod ut homo in Regis imperio natus, ei deberet. si alia ratione demum res non ageretur; facturum Regē, quod iuri, imperijsque suis conseruandis opus esset, licet perturbationes inde fortasse multæ, grauesque orirentur. postremo etiam blande rogauit, ut amico, atque adeo paterno studio negotium complecteretur: id saltem, si alia recusaret, scriberet ad Pontificem: cupere se, ut citationis cauſa prætermissa, controuersia componeretur. Respondit Carolus interposito die: quod Pontifex contra Senatores egisset, sese præstare non debere; neque etiam Pontificem ipsum, qui nemini id præter Deum deberet. de facto suo, timendum sibi videri potius Pontificis in eo reprehensionem, quia remisse egisset; quam offenditionem Regis. Romanum se motus initio minime confusisse: tolerasse: Gubernatorem saepius, & Senatores priuatim, atq; amice monuisse; ut quæ contra ius ecclesiasticum afferrentur impedimenta, ea vellent tollere. cum nihil proficeret; cum etiam ad vim ventum esset;

set; quæ contra non solum Mediola-nensis, sed etiam vniuersæ Ecclesiæ ius, immo contra ipsius Pontificis au-toritatem videretur; merito ad ip-sum retulisse Pontificem, supremum iudicem, patremque omnium eccl-eiarum. molestum id fore Regi non putasse. eius meritorum magnitudi-nem, & se agnoscere, & ut quam gra-tissimus esse posset, semper curaturū. A se Regi semper omnia fore para-tissima: sed quæ Ecclesiæ esse putaret; ijs, si quis forte id expeteret, cedere se nullo modo posse; præsertim quo priuatis beneficijs responderet. Ni-hil se a Rege expectare, quod valde pio, & catholico principe dignū non esset: quem satis nosse sciret, regias vires in iuuanda Ecclesia, non autem opprimenda ponи debere. id si non fieret, magnas sine dubio perturba-tiones, grauissimaque incòmoda fu-tura. quibus tamen ecclesia Mediola-nensis tunc minime careret; quæ vi-tam grauiter illata, suam libere non poterat exercere potestatem; in eos præsertim qui vel ob ipsam impuni-tatis fiduciam, turpem, flagitiosam-que vitam agerent. Litteras ad Pon-tificem, quales postulabat Marchio, pro eo, quod ecclesia suæ debebat, dare se posse negauit. dedit autem huiusmodi.

**Caroli illite** **Sanctissime ac Beatissime Pa-  
ter. Cum antea ad sanctitatem  
tuam de rebus ad huius ecclesiæ iu-  
risdictionem pertinentibus singu-  
latim retuli; tum hoc tempore Or-  
maneto mandaui, ut diligenter ex-  
ponat, quidquid id cum Marchione  
Seralii actum est, qui nunc Romam  
proficiuntur. is cum a me contendere-  
rit, ut de eodem negotio componen-  
do, Senatoribusque Romam minime  
compellendis ad te perscriberem:  
quæ in hoc genere sentiam, quæque  
antea significaui, & Marchioni ipse**

libere respondi, hic breuiter attin-gam. Quod ad Senatores attinet; nullam priuatam iniuriam meam, equidem vindicari volo. de cetero quid sanctæ sedis Apostolicæ digni-tati conueniat; quid Ecclesiæ con-ducat vniuersæ, reftissime tua Sanctitas existimat: eius enim illa ca-put est; ego autem exiguum mem-brum. De huius ecclesiæ iure, id co-firmo; nihil aliud spectare me; nisi ut illius auctoritate seruata, qui post hac Archiepiscopatum geret, omnia libere exequi posse, quecun-que ad eius officium pertinebunt. Ceterum testimonia me, ac argu-menta, quæ ad possessionem eccle-siæ probandam valent, ad Sancti-tatem tuam misisse satis habeo. quæ cum apud se viros habeat bonitate, doctrina, iudicioque præstantes: & ex eorum numero, qui in Concilio Tridenrino huius generis rebus con-stituendis interfuerunt: cumque, quod caput est, a spiritu sancto rega-tur: meas esse partes alias non vi-deo; quæ expectare, quid illa decer-nat; & quidquid decreuerit, prom-pta omnino voluntate accipere; ni-bil dubitans; quin illud rectum, sanctumq; sit. Sanctitatis tuæ pedes summisse oscular. Mediolani nono Calend. Februarij M. D. LX. IIX. Ita Marchio Roman profectus, in primis onmi diligentia, studioque tempus adhuc prorogari curauit; ut aliquo modo interim vocati exime-rentur.

Quamquam autem eo iurisdictio-nis grauissimo negotio Carolus erat occupatus; quæ tamen ad suos regen-dos, rebusque salutaribus iuuandos pertinerent, eorum nihil omittebat. Atque cum alias dioecesi partes, aut per

Löginquis  
diœcesis sua  
partes visit.  
CAP. III.